

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3018

**Auteur(s) :** Jersey (doyen)

**Bénéficiaire(s) :** Coutances (official)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1291, 1 septembre

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Lettre du Doyen de Jersey à l'official de Coutances. Il lui annonce qu'il a été à St Ouen pour s'enquérir si les religieux du Mont St Michel et le Prieur de Lecq ont toujours été en paisible possession d'une certaine dîme des blés croissant dans la paroisse et si Jean de Carteret Ecuyer et ses complices, ou Pierre d'Arcis, Bailli de l'Ile, à la demande dudit Ecuyer, ont arrêté et détiennent ladite dîme ; qu'il a voulu interroger par serment là dessus ledit Jean de Carteret, Colin de Vinchelez et Philippe Fondan, mais qu'ils se sont retirés ; qu'il les a sommés de restituer ladite dîme, et qu'ils ont encore refusé de paraître ; que plus tard ledit Jean de Carteret avait affirmé que cette dîme n'avait pas été arrêtée par lui ; qu'alors lui, ledit Doyen, avait sommé ledit Bailli de venir à restitution et que le Bailli avait répondu qu'il ne le ferait que sur l'ordre du Roi, qui lui avait enjoint précédemment d'arrêter la dîme, ce que le Prieur niait, prétendant que la Lettre du Roi n'en faisait pas mention.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Société jersiaise , *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 41, p. 63-65.

Texte établi d'après a

Viro venerabili et discreto domino officiali Constancensi sede vacante suus decanus de Insula Geroii salutem in domino cum omni reverentia et honore. Noveritis nos personaliter accessisse apud Sanctum Audoenum de dicta insula ad inquirendum utrum viri religiosi et honesti abbas et conventus Sancti Michaelis in Monte in periculo maris et ejus mandatum videlicet prior de Layc fuerint in pacifica possessione hactenus cujusdam decime bladorum crescentium infra metas dicte parrochie et utrum Johannes de Quarteret scutifer et ejus complices auctoritate propria et ad petitionem seu procuracionem ipsius scutiferi Petrus de Artuis ballivus ejusdem insule dictam decimam arrestavit et adhuc detinet arestatam ; et nobis constat evidenter quod dicti religiosi hactenus fuerunt in possessione pacifica et ejus mandatum videlicet dictus prior qui pro tempore fuit a tempore a quo memoria hominum non existit de portione dicte decime sibi contingente. Vellemusque dictum Johannem, Colinum de Vincheleys et Philippum Fondenc interrogare per eorum juramenta super contentis in litteris vestris nobis dicere veritatem, qui a nobis super hoc canonice moniti facere recusarunt recedendo. Item monuimus eosdem ut ipsi dictos religiosos de predictis decimis restituerent et restitui procurarent. Qui moniti parere noluerunt quamvis nobis constiterit evidenter per confessionem dicti ballivi quod dictus Johannes dictam decimam procuraverat arestari et in placitis domini Regis in presentia juratorum litteras dicti domini Regis super hoc predicto ballivo tradidit. A quo ballivo petivimus cum instancia copiam nobis fieri dicte littere, quod facere recusavit, proposuisseusque contra dictum ballivum quod littere sibi directe a domino Rege non faciebant mencionem de decimis, quare decimam predictam non tenebatur arestare nec ad instanciam dicti Johannis cum idem Johannes in presentia dicti ballivi postmodum et coram nobis

asseruerit quod dicta decima per ipsum non est nec fuit arrestata. His auditis nos monuimus dictum ballivum canonice presentem coram nobis de reddendo restituendo et liberando dictam decimam dictis religiosis indilate qui respondit se non teneri nisi de mandato domini Regis ad cuius mandatum dictam decimam arrestaverat ut dicebat, dicto priore contrarium affirmante videlicet quod de mandato domini Regis dicta decima non fuerat arrestata nec detenta nec in littera predicta fuerat facta mentio de eadem. Quod vestre discretioni venerande significamus per presentes litteras sigillatas sigillo curie decanatus insule supradicte. Valete. Datum anno Domini millesimo ducentisimo nonagesimo primo, die Sabbati post decollationem beati Johannis Baptiste.